

de manubrio amicum ejus percusserit et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium fugiet, et vivet: ne forte proximus ejus, cujus effusus est sanguis, doloris stimulo persequatur et apprehendat eum, et percutiat animam ejus. Ad silvam quippe cum amico imus, quoties ad intuenda subditorum delicta convertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manu fugit, cum sese increpatio plus quam necesse est in asperitatem pertrahit. Ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excedit. Et amicum percutit et occidit, quia auditorem suum prolata contumelia a spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio plus quam debuit addicit. Sed is qui incaute ligna percutit et proximum extinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut in una earum defensus vivat: quia si ad poenitentiae lamenta conversus, in unitate sacramenti sub spe, et caritate absconditur, reus perpetrari homicidii non tenetur. Eumque extincti proximus et cum invenerit non occidit: quia cum districtus iudex venerit, qui sese nobis per naturae nostrae consortium junxit, ab eo proculdubio culpa reatum non expetit, quem sub ejus venia fides, spes, et caritas abscondit.

CAPUT XI. QUANTUM RECTOR SACRAE LEGIS MEDITATIONIBUS ESSE DEBEAT INTENTUS.

Sed omne hoc rite a Rectore agitur, si supernae formidinis et dilectionis spiritu afflatus, studiose quotidie sacri eloquii praecepta meditetur: ut in eo vim sollicitudinis, et erga coelestem vitam providae circumspectionis, quam humanae conversationis usus indesinenter destruit, divinae admonitionis verba restaurent: et qui ad vetustatem vitae per societatem secularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriae compunctionis aspiratione renovetur. Valde namque inter humana verba cor defluit: cumque indubitanter constet